Quaestiones Ammianeae.

Pars prior.

Inest narratio de vita Ammiani Marcellini ex ipsius auctoris libris qui supersunt conscripta.

Vitas exponere veterum scriptorum, qui monumenta literarum posteritati reliquerunt, non fide et gravitate solum insignia, sed verborum etiam ac sententiarum luminibus distincta, plurimum valet ad superstites eorum libros et interpretandos et intelligendos. Etenim vita, qualemcunque praestans aliquis rerum auctor degebat, tamquam speculum habendum est, in quod qui inspexerit, ingenii ejus atque animi et morum expressam deprehendet effigiem: nisi forte quis putat, paulum interesse inquirere, utrum scriptor, cujus vita et virtus narratur, non potuerit modo, sed voluerit etiam, verum explorare et dicere (quae prima lex historiae est) et sine ira et studio honestissimo opere perfungi. Quod dum illustri aliquo exemplo confirmare in animo est, aggredimur ad id, quod in quaestionem vocavimus.

Ac profecto, si quis unquam dignus fuit et est, ex eorum quidem numero scriptorum, qui suorum temporum memoriam literis tradiderunt, ut fideliter narretur, quam aetatem degerit, quo ingenio, quo animo valuerit, quibus moribus, consiliis, quibusque literarum studiis excelluerit, is sane est Amminianus Marcellinus, cujus scripta, quam communionem cum vita ejus habeant, quum „adhuc sub judice lis sit," dum judicare instituimus, operae pretium facturi nobis videmur. In quo quidem loco tantum abest, ut, qui antehac in eadem quaestione desudaverunt, eandem profligasse videantur, ut vel castigandi eos, vel retractandi copiam fecerint posteris haud exiguam. Namque antiquiorum auctorum, qui Ammiani Marcellini vitam diligenter et copiose descripserunt, nemo fuit: deerant quippe Cicerones, Quintiliani aliique ad investigandas literas curiosi, qui libros ejus in lucem proferrent et oblivione eximerent. Novis contra temporibus Germani, et qui ad eorum similitudinem accesserunt Europaei, laudato scriptori, rerum suae aetatis testi locupletissimo manum admoverunt, membranis eum describendo et in bibliothecis condendo. Quid? quod seculo demum XVI. Hadrianus Valesius ejusque frater Henricus primi exstiterunt, qui tanti esse putaverint, ut de vita Marcellini narrarent: quamqum, ut dicam quod sentio, inchoasse magis telam qum pertexuisse censendi sunt[1]). Eadem censura de Claudii Chiffletii

1) Hadrian. Valesii ad lectorem praefatio.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

libello[1]) videtur facienda est, quod quidem judicium, ne iniquum videatur, prohibet auctoritas Bernhardii, clarissimi viri, idem fere de ista scriptiore sentientis[2]). Quid quaeris? Inchovit filum Chiffletius, non deduxit.

Quae quum ita sint, veteribus nimirum tacentibus de Ammiano, recentioribus autem, quae prima fuderat manus, vulgantibus, nihil admodum de vita ejus exstaret, nisi alius cognoscendus ejus fons posteris nobis pateret. Hic est auctor ipse; hi sunt libri ejus, qui hortulos nostros irrigent. In his enim quorum XIII aetatem tulerunt, aliquot locis de se ipso fecit scriptor mentionem adeo ut, si plurifariam idem fecisset, adumbratam egregii viri imaginem intueremur. Quod, quam prope absit a fide penes ipsum auctorem, ut monstremus, collegisse juvabit ea, quae de ipsius vita et fatis in libris, quos ab eo reliquos adhuc habemus, obvia nobis sunt.

Antiochiam, celebrem illam ac copiosam Syriae urbem[3]) Ammiani patriam fuisse, argumentis comprobavit Henricus Valesius, sic ut nullus dubitationi locus relinquatur. Profert enim Libanii, rhetoris Antiocheni, ad Ammianum, qui tunc Romae erat, epistolam, qua eum, historias ibi suas recitantem laudibus effert, subjuncta ratione: „scilicet, quod ejusmodi recitationes non solum scriptores rerum celebrent, sed eos etiam ornent, inter quos illi nati ortique sint, i. e. Antiochenos“. Hortatur eadem in epistola, ut non desinat Marcellinus, laudes suas et civium suorum amplificare, utrorumque enim patriae id ornamento esse. Accedit, quod Marcellinus, quamquam de patria sua ipse silet, sex fere locis de Antiochia loquitur[4]): qui loci, tametsi singulatim spectati, urbem in qua genitus sit, non testantur, conjuncti tamen et cum aliis collati, efficiunt, ut probabilis sit conjectura, Ammianum Marcellinum domo Antiochensem fuisse. Tertium quoddam argumentum, si quis inde duxerit, quod numquam fere, nisi adjuncta laude de celebri illa urbe loquatur Marcellinus, consentientem habebit Henricum Valesium.

Sed haec, quae attulimus, quamquam a vero non aliena, levioris sunt momenti. Qui vero attente legerit, quae Ammianus de totius Orientis, ubi tunc Caesar Gallus regnabat, loco et statu narrat, et quomodo depingit Caesarem, Antiochiae tunc versantem, noctuque digredienten, et quid de se ipso sentirent cives sedulo explorantem, affirmare non dubitabit, neminem, nisi qui omnibus his interfuerit, tanta diligentia tantaque rerum minutissimarum scientia tradere ea potuisse. Magni praeterea momenti est, quod Marcellinum, stipendiis emeritis Valentiniano et Valente imperantibus, iterum Antiochiae commorantem videmus, quod factum est anno 371, eodem anno, quo Theodorus Notarius, imperium affectans et apud Valentem Antiochiae Majestatis reus, convictus cum plurimis criminis consciis morte multatus est. Quae dum refert Ammianus, multos ait se vidisse crudelissimis affectos suppliciis[5]).

Quocirca nulla fides habenda Chiffletio, qui in libello supra commemorato temere pronuntiat, perincertum esse qui Ammiani locus natalis fuerit: id quod jam scripta Libanii ad eum epistola redarguitur. — Neque majorem fidem facit

---

2) Claudii Chiffletii. I. C. Sequani Vesontini Dolanae Academiae Regii Antecessoris, de Ammiani Marcellini vita et libris rerum gestarum Monobiblion. — 2) S. Bernhardy: Grundriß der Römischen Literaturgeschichten. „Weniges leistet Chifflet.“ — 3) Cf. Strabo, cap. 750. — 4) Marcellin. XIV., 8. XXII., 9., 13., 14. — 5) XXIX., 1.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

id quod Chiffletius adstruit, dum ex eo quod Amminianus Ciceronis lectione valde delectatus sit ac depromptas inde sententias acutas quasdam operi suo interseruerit, conjecturam capit, eum ab ineunte aetate, videlicet ortu Graecum, in Occidente vixisse ibique latine dicendi scribendique facultatem consequutum esse: quasi vero omnes, qui istis temporibus, i. e. saeculo IV. post Chr. n. Ciceronem et stilum ejus imitari vellent, Romae vivere debuerint! Nonne Athenae, Nicomedia, Antiochia aliaeque urbes supparis aetatis celebrantur, ingenuis artibus et librorum apparatu inclytae? Quid? quod ex eadem Libanii epistola diversam a Chiffletio conjecturam facere cogimur! Etenim locus ibidem est, in quo Libanius Marcellinum, ne literarum studia intermittat, his verbis commonefacit: „Ne desine, laudes tuas ac simul nostras amplificare.“ Nonne ex his verbis conjectura assequimur, Ammianum Libanio usum fuisse praeceptore, quippe quem rhetorem Antiochenum eundemque disertissimum fuisse (c. a. 350.) historia testatur Neque talis admonitio a persona gravissimi magistri abhorret. Nam si verum est, talem fere evadere discipulum, qualem eum formarunt studiorum rectores, Ammiani Marcellini elocutionem rhetoris duxisse colorem, cuilibet apparebit legenti. Videtur igitur sic statuendum esse de Ammiani natalibus, ut eum Antiochensem et Libanii discipulum fuisse credamus.

At qui parentes ejus fuerint, minus certo scimus; illud modo certum et pro explorato habendum est, nobili eum loco fuisse natum, cujus rei manifesta in ejus scriptis sunt vestigia. Ac primum ipse narrat, quid sibi in bello contra Saporem, Persarum regem suscepto acciderit, quum post captam urbem Amidam nocte evasisset et fugam Antiochiam versus pelisset. Fugiens enim cum aliis sociis ac fatigatus laboribus, quos in obsidione urbis subierat, iter pergere non poterat, quippe quem, ut ingenuum et molliter educatum, vires deficerent. Hic aperte ingenuitatem suam prodit Ammianus.

Ut vero haec verba, quae indicant, Ammianum haud ignobili loco ortum fuisse, desiderarentur, ex eo tamen, quod inter Protectores Domesticos militavit, ejus nobitas satis cognoscitur: id quod in secundo argumento ponimus. Fuit enim munus Domesticorum ea tempestate adeo honestum, ut Constantius Chlorus et Jovianus, qui postea ad summam dignitatem pervenerunt, ab isto honoris gradu in fastigium imperatorium ascenderint, quippe ad quod, ut Valesii verbis utar, „vota nobilium juvenum ac desideria aspirarent“. —

Haec habui, quae de patria ac genere Ammiani dicerem. Reliquum esset, ul vitam Ammiani singulatim persequeremur, — disputando, aetatis gradibus distinctis, primo de puerita, tum de virilitae, postremo de senectute —; sed penuria fontium, quod admodum dolendum, id fieri vetat.

Ipse igitur Ammiani libri adeundi sunt, hic solus est fons, ex quo omnia manant, quae de ejus vita relicta habemus.

Jam vero si quaeritur, quomodo ulterius progrediendum sit, ut conditorem operis pro tempore bonae frugis plenissimi, ex eo ipso cognoscamus, utilissimum nobis visum est, eandem ingredi viam quam auctor ipse praeivit.

Quo enim magis auctor in componendo opere procedit ipse, eo diligentior

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

est in revocanda sui ipsius momoria, interjectis tamen permultis annis, quibus de se silentium facit. Acquiescendum igitur est in his quae subsequuntur.

Fuit nimirum, ut supra exposuimus, Ammianus Protector Domesticus, quorum alii in comitatu erant ad Imperatoris custodiam, alii cum Magistris militum per orbis Romani provincias mittebantur[1]) et Ursicino (magistro equitum) adscriptus est. — Ac primum quidem Ammianum in Oriente versantem, ibique militantem videmus. Militae interfuit bello contra Isauros, qui provincias Romanas crebris vexabant incursionibus. Verbis enim, quae III. capite libri XIV. leguntur, maxime adducor, ut credam, Ammianum tunc prima stipendia meruisse. Dicimus prima stipendia. Nam si verum est, quod cum aliis Henricus Valesius conjecit, Ammianum historiam suam circa annum 390 literis consignasse, multum habet probabilitatis, scriptorem tunc vicesimum circiter agentem annum primum militavisse. Accedit, quod paulo infra Ammianus narrat, cohorti Ursicini, magistro equitum, se fuisse adscriptum[2]). De quo quidem loco, et quod periculum adierit cohorti praefectus, pluribus verbis disserendum est.

Constantius, quum regnum paternum obtinuisset, Caesarem Gallum Orienti praefecit, cujus injustitia atque crudelitate provinciae ejus vehementissime vexabantur. Praefectus enim timens, ne majestas sua detrectaretur, neve insidiae sibi struerentur, de noxiis et innoxiis, nullo recti pravique discrimine habito, saevissimas poenas sumebat[3]). Ad aestimandas lites ab Imperatore Ursicinus qui sub idem tempus Nisibi in statione erat, ablegatus, una cum Ammiano Antiochiam se contulit (a. 353). Qualem se illic praestiterit et quomodo judicis vice functus sit Magister equitum, longum est enarrare; id unum silentio non praetereundum est: quem modo ad jus dicendum ab Imperatore designatum videmus, eundem subinde, inimicis calumniantibus, ab ipso Constantio capitis accusari; neque multum abfuit, quin Ursicinus, vir spectatae ceteroquin virtutis, necaretur. Servatum tamen atque in pristinam dignitatem restitutum brevi post Ursicinum Constantius Mediolanum arcessivit, ad negotia conficienda, quae ut recte intelligantur, altius nobis repetendum est.

Tempore, quo Contantius clavum imperii tenebat, irrumpebant jam regni fines gentes accolae, quas communi nomine barbaras vocabant, adeo ut nunquam paene Romana arma quiescerent, quum modo hic modo illic hostes a finibus male defensis repellendi essent. Quod quum animadvertissent militum duces ambitiosi et novarum rerum cupidi, opportunitalem sibi natam esse arbitrabantur vel civitatis formam mutandi, vel rerum potiundi. Quod uti prius jam persaepe acciderat, ita, Constantio imperante, a Silvano quodam tentatum esse, Ammianus testis est[4]). Hunc magistum peditum, in Galliam dimiserat Imperator barbarorum incursionibus vexatam. Silvanus autem, utpote homo amplissimorum honorum appetens, anno, quo Coloniae Agrippinae degebat, summum imperium affectabat. Ad quem opprimendum magister equitum Ursicinus mittitur, qui tametsi paulo ante de affectando imperio suspectus ipse (vide, quae supra memo-

1) Henr. Vales. praefat. — 2) Amm. XIV., 9. — 3) Amm. XIV., 7. Latus jam dissimulata licentia onerosus, bonis omnibus Caesar nullum post haec adhibens modum, Orientis latera cuncta vexabat, nec honoratis parcens, nec urbium primalibus nec plebejis. — 4) XIV., 15.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ravimus), solus tamen idoneus videbatur, qui periculosum hoc munus susciperet. Simul cum eo Tribuni et Protectores domestici profecti sunt, inter quos Ammianus fuit cum Veriniano collega. Neque vero erecto et hilari animo in viam se dabant; omnia quippe periculorum plena: regiones ignotae, usurpatore ad audacissima quaeque prompto[1]). Cunctis tamen, quae impedimento erant, devictis, Agrippinam deveniunt, ubi quid jam faciendum et quomodo mandatum perficiendum sit, etiam atque etiam deliberant. Placuit tandem, Silvanum per speciem simulatae amicitiae securum reddere; nec tempus terunt, sed occidunt necopinantem. Sic, quod jussum erat, exequuti sunt.

Hic paulisper subsistendum est, ut quae hucusque de vita Ammiani ex posuimus, in uno quasi aspectu ponamus. Scilicet Ammianus Marcellinus, Antiochiae natus, quum ex ephebis excessit, praeceptore Libanio, usus est. Exacta pueritia prima stipendia meruit Ursicino Magistro, equitum duce, in Oriente, cum quo a Constantio in Gallias missus est ad Silvanum oppimendum.

Haec fere sunt, quae ex ejus libris tamquam ex fonte hausta in medium protulimus: quae si nonnihil dubitationis habent, parum nos sollicitant anguntque; nam ubi testimonia desunt, conjecturae locus est.

Post Silvani mortem quum Julianum, Galli fratrem Constantius Caesarem nuncupasset ac praefecisset Gallis, Ammianum cum Ursicino in istis regionibus diutius commoratum esse, propterea credibile est, quod hic anno 357 in Orientem remissus est cum Magisterii potestate, Ammiano aliisque ejusdem aetatis eum comitantibus[2]). Quad quam probabile sit, arguit apud Ammianum locus, ubi narratur, milites in unum coactos Julianum expectare jussos esse, et ipsi Ursicino imperatum, ut ad finem usque expeditionis in iisdem locis (Remis) maneret. Nec non coarguunt suspicionem de mansione illa ea, quae Ammianus narrationibus rerum intexuit, describendis vel Galliae urbibus, quarum multas ut Bisontios et Rauracos oculis vidit, vel populorum cultu victuque, quos cognoverat, notandis[3]).

Redeamus autem ad Ursicinum, qui postquam omnia ex mandato bene administraverat, a Constantio revocatus Sirmium venire jubetur, quo, Romae triumpho acto, se contulerat Imperator. Quadae enim et Sarmatae provincias imperii confines populabantur, qui ne ulterius grassarentur, cavendum existimabat Constantius. Ursicinus, literis acceptis, Sirmium contendit, comitantibus sociis, inter quos Ammianus, indeque in Orientem cum Magisterii remittitur potestate. Enimvero hae quoque imperii partes hostium et quidem Persarum incursionibus infestabantur, rege Sapore bellum parante. Ac non ab externis modo hostibus petebatur imperium Romanum, his quidem temporibus, quorum imaginem sane vividam expressit scriptor, de quo disserimus, sed perniciosior quaedam in animos hominum irrepsit lues, quae multum valuit ad leges subvertendas, dico genus delatorum istud aulicorum, qui in comitatu Imperatorum potiorem locum obtine-

1) Amm. XV., 5.: Et quamquam ut bestiarii objiceremur intractabilibus feris, perpendentes tamen, hoc bonum habere praecedentia, quod in locis suis secundis substituunt, mirabamur illam sententiam Tullianam et internis veritatis ipsius promulgatam, quae est tatis..cts. — 2) Amm. XVI., 10.... provectis e consortis nostro ad regendor milites natu majoribus, adulescentes eum sequi jubemur, quidquid pro republica mandaverit impleturi. — 3) Amm. XVI., 2.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

bant, quique metuentes, ne aliorum meritis ipsorum auctoritas detrectaretur vel obscuraretur, optimos viros insectabantur calumniis et maledictis. Idem accidit Ursicino, praestanti virtute viro, quem et ipsum Ammianus sibi proposuerat imitandum. Vixdum enim in Oriente praesto erat, in suspicionem Constantii incidit, perinde ac si regnum appeteret. Quae dum palatium Constantii sollicitabant, Ammianus Samosatae, Commagenae urbe quondam clarissima, per aliquod tempus versabatur, ut ex ipsius verbis apparet[1]). Quocirca in locum magistri equitum Sabianus sufficitur; qui dum in Orientem proficiscitur, Ursicinus per literas ab Imperatore arcessitur, quippe quo nemo ad propellendum periculum aptior esset, utpote disciplinae veteris et Persarum artis bellandi longo usu scientissimus[2]). En vero mirificam consilii mutationem! Nam medio in itinere quum paulisper cis Taurum morantur Ursicinus ejusque comites, literae ab eodem, a quo priores, redditae sunt quibus, apparitoribus dimissis, in Mesopotamiam redire jubentur, omni ut addit Ammianus, potestate in alium tranlata. —

Hoc loco aliquis fortasse miretur, quod nos, de Ammiani vita disputandi munere suscepto, curiosi simus in omni historia de Ursicino. Verum res excusationem habet. Quae enim de vita et fatis Ursicini exposuimus, ea omnia ad Ammianum pro utriusque viri necessitudine pertinent. Alter alterius pericula et gaudia ita sociavit, ut Ursicinus dux, Ammianus comes videretur esse. Communis igitur ei cum Ursicino sors ad hoc usque tempus fuit; et si de potiore fieri denominationem recte dictur, recte etiam de Ursicino, ut potiore verba fecisse videbimur. Prodit praeterea ipsius scriptoris reticentia, quod nihil memoratu dignum per hoc annos gesserit. Persequamur igitur breviter summatimque narrando, quae deinceps consequuta sunt.

In Orientem reversi, ut supra significavimus Ursicinus, et Ammianus Nisibin pervenerunt, urbem in Mesopotamia sitam, (quam Strabo praedicat 522. 527. 736. 747.) eamque rebus ad oppugnationem Persarum propulsandam necessariis instruunt. Quo facto, ignes hostium passim vagantium et castra Maurorum (Caphaturta) appropinquantium conspicati urbem deserunt et, quam celerrime possunt, progrediuntur, impedituri, ne ab hostibus omnia intercluderentur itinera. Ad secundum lapidem delati, deprehendunt puerulum, ingenui cujusdam filium, juxta viam sedentem et ejulantem. Interrogatus igitur, quid hic ageret a matre dum imminentes hostes fugeret, se desertum esse respondit. Tum Ursicinus, quem miserebat derelicti pueri, equo eum imponi et in urbem reduci jussit. Recepit mandatum Ammianus et Nisibin iter repetit, quam quum obsidione cinctam vidisset, puerum aliorsum in tuto collocat. Inde ad suos regressurus, paulum abfuit, quin ab hostibus caperetur. At velocitate equi, quo vehebatur, instantibus hostibus se eripuit; simulatque in campo suos apud Amudim munimentum considentes procul conspexerat, „porrecto extentius brachio et summitatibus sagi contortis latius“ (ut Ammiani verbis utamur) signum eis imminentis periculi dedit. Signo dato, omnes qui Ursicinum cum Ammiano sequebantur, aufugiunt, quum acrius instarent hostes. Jam vero nox illustris et regionum

1) Amm. XVIII., 4. Haec opperientibus illis, et ancipiti cogitatione districtis, nobis apud Samosatam parumper morantibus, repente novi motus rumoribus densis et consertis..... 2) XVIII., 6.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vasta planities, quippe quae nullum daret refugium, magnopere eos terrebat. Hocce igitur consilium capiunt: jumentum, cui facem injunxerant sinistrorsum ire permittunt, dum ipsi, dextrorsum iter flectentes, in fugam se conjicere pergunt. Quod ni fecissent, in hostium se manus incasuros fuisse affirmat Ammianus[1]). Periculo feliciter sic evitato Mejacarire (Emmaus) veniunt, locum ab incolis desertum, relicto uno, quem Ursicinus acciri jubet. Interrogatus narrat, se in Gallia natum esse ibique stipendia fecisse, postea vero metu solvendae poenae ad Persarum regem confugisse, ubi exploratoris vices ageret. Haec atque alia confessus interimitur. Ursicinum autem, quae de apparatu hostium aperuerat explorator, movent, ut cum suis ultra procederet. Petunt igitur Amidam (Diarbecr) indeque propius Corduenam accedunt, cujus Satrapa rebus Romanis favebat. Interim a legatis, qui apud Saporem erant, litterae redditae sunt, quae mentem regis et consilia declarabant. Lectis his, Ursicinus Ammianum ad Satrapam ablegat, hominem iisdem doctrinae studiis deditum, quibus Marcellinus delectabatur. Peragratis, comite Centurione, regionibus plurimum asperis et horridis perventum est ad Jovianum (id Satrapae Corduenae nomen erat), a quo legatio hospitaliter accepta, et de omnibus, quae scire intererat, instructa est[2]). Nam quum Ammianus, ducente quodam regionis perito, in editiorem locum ascendisset, Persarum exercitum longe lateque per planitiem diffusum, in conspectu habuit[3]). Speculatus illico in omnes partes, postquam, quae vellet, exploraverat, in domum Joviani rediit ejusque hospitio per aliquot dies usus est. His exactis viam repetivit per tramites citiusque exspectatione salvus ad suos pervenit. Sic munere exploratoris functus est Ammianus.

Interea Persarum appropinquabant copiae, nequaquam deterritae agrorum vastatione quam Romani fecerant. Quae compertus, Ursicinus apud Samosotam Euphratem trajicere constituit pontesque, qui apud Zeugma et Capersana erant, rescindi jussit, ut hostes a progressu prohiberentur. Sed irritum cecidit prudentissimi ducis consilium. Nam quae relicta erat in praesidio cohors, ex eo ipso loco quem muniri oportebat, turpiter refugit. Quo facto certatio iniqua comparata fuit.

At copiosius, quae in hoc bello evenerunt, explananda sunt, quum Ammianum in vitae discrimen adducerent.

Persarum igitur exercitus Romanos superabat numero; confligitur vario eventu dum nova hostium agmina in auxilium accurrerent; quibus conspectis, Romani praecipites fugae se mandant, alio alium locum capessente. Inter fugitantes Marcellinus quoque fuit. Hic in Verinianum collegam suum incidit, in tergo sagitta vulneratum: quam dum extracturus erat Ammianus, statim ab hostibus se cinctum vidit, quorum ex manibus ut evaderet, citato equo, Amidam contendit[4]) Confluxerat illic nundinarum causa ingens hominum numerus utriusque sexus. At Sapor, Romanorum exercitu fuso fugatoque, prope urbem accessit, sperans fore, ut eam primo impetu caperet, vi armorum fretus. Neque negat

1) Amm. XVIII., 6. — 2) Amm. XVIII., 6. Visusque et agnitus comiterque susceptus causam praesentiae meae uni illi confessus, abjuncto taciturno aliquo locorum perito, mittor ad praecelsas rupes exinde longe distentas. — 3) XVIII., 7. — 4) Amm. XVIII., 8.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ammianus, innumerabiles oppugnatorum fuisse copias, quas viderit, postridie quam intrasset urbem. Verum si rex facili eam opera expugnari posse arbitraretur, sententia eum fefellit: erat enim urbs rebus omnibus ad defendendum necessariis tam ornata, quam suorum civium fortitudine munita. Hinc igitur crebrae eruptiones factae, illinc aggeres acti, turres admotae, nihil intentatum relictum ad conatus civium infringendos; in pugnis ante moenia aequo Marte discessum, bellum in plures menses extractum, postremo de deditione actum.

Quot quantosque inter haec labores exantlaverit Ammianus una cum obsessis, accommodatius erit tunc perscribere, quum de moribus et virtutibus, quibus inclaruerit Ammianus disseremus[1]). Porro praestat, ea attigisse, quae militanti scriptori extrinsecus acciderunt.

Ac primum quidem, detitione facta, quamquam passim dimicabatur, clam urbe evasit Marcellinus, nocte favente, per portam ab hostibus nondum occupatam. Subsequuti sunt duo alii, quibuscum ex oppido ad decimam usque lapidem perfugit. — Paulisper hic commoratis cadit sub aspectum calo, equo insidens. Cogunt hominem jumento descendere, laetabundi hac opportunitate fugam festinandi. Neque mirum, quod prae ceteris Ammianus laetitia perfunderetur, quum „ingenuus“ ideoque laboris insuetus esset. Proinde equum conscendit et viribus refectus iter cum sociis intendit, in quo quum locum devenissent, ubi sulfurei erant fontes „aquarum suapte natura calentium,“ (sunt verba auctoris) denuo mora fit et impedimentum. Nam quod aegrotantibus fortassis remedio fuisset, nihil sane proficiebat iis quibus, ut haustu frigidae aquae sitim sedarent, optatissimum erat. Speculantur scaturiginem. Quam quum aliquamdiu frustra quaesitavissent — in desertis nimirum — offendunt tandem aliquam, pluviali aqua repletam, in quam difficilis erat descensus. Verum

„labor omnia vicit
Improbus, et duris urguens in rebus egestas.“ Scilicet quod alias venit, hic etiam venisse videmus: laboriosum opus erat! sed necessitas, quae artes peperit, subministravit adjumentum, satis habile ad aquam hauriendam et sitim explendam[2]). Neque tamen illico consistere licebat; tutius visum est prae persequentium turmarum multitudine pedem referre. Quapropter rursus in viam se dant, fuga salutem petituri, a qua non ante destiterunt quam Melitinam, minoris Armeniae urbem, pervenerant, inde Antiochiam repetunt.

Exin sequuntur tempora, sc. ab a. 350 usque ad a. 363, quo Julianus expeditionem contra Persas suscepit, cui interfuit Ammianus: quibus tamen temporibus, ubi fuerit historicus, quid gesserit, quum ipse hisce de rebus taceat, nihil quidquam certi exploratique habemus. Eum per hos annos in Oriente fuisse, sibi quisque facile persuadebit, qui historiarum ejus libros XX. et XXII. attente legerit[3]). In his enim res, quas narrat, adeo lectoris oculis subjecit, ut

1) Vid. XIX. 1, 2, 4, 5, 6, 7, 8. — 2) Amm. XIX., 8.... indumenta lintea, quibus tegebamur, in oblongos discidimus paunulos, unde explicate fune ingenti centonem, quem sub galea unus ferebate nostris, ultimae aptavimus summitati: qui per funem conjectus aquasque hauriens ad periculi modum facile sitim exstinxit. — 3) Amm. XX., 6, 11. XXII., 9, 10 etc.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nemo, nisi qui oculatus testis fuerit, eloquentiae certamen cum laudato scriptore initurus sit. At id quidem pro certo haberi potest, discessisse Ammianum a latere Ursicini, quem narrat, deposita militia honorata, ad ignobile otium digredi jussum esse[2]). Contra si una cum eo in Constantii palatium revocatas esset, id non reticuisset is, Ammianum dico, qui ad hoc usque tempus assiduus Ursicini comes fuerat eique se adjunxerat. Ceterum dissentimus a ratione, quam de reticentia auctoris affert Chiffletius, ut parum probabili[1]).

Sequuntur porro tempora aetatis Marcellianae, ut ita dicam tenebrica, h. e. quibus lux historiae deest. Quid enim ad cognitionem rerum prodest, si scimus in Oriente eum fuisse aliquamdiu, si, quid ibi relatu dignum egerit, nescimus! Reliquum igitur est, ut conjiciamus Ammianum per aliquod tempus militiae renuntiasse et remotum a re bellica Antiochiae, ducente Libanio, literarum studiis vacasse. Quippe qui in conscribenda historia nunquam addere omiserit, quum vel expeditioni interfuit, vel imperium obtinuit, is profecto auctoritatem suam amplificare non dedignatus esset, si rerum inde ab a. 359 usque ad a. 363 oculatus fuisset testis. Sed nova lux suboritur, procedente ad eum annum tempore, quo post obitum Constantii rerum potitus est Julianus, qui ingenti apparatu Persis bellum intulit. Cui expeditioni se interfuisse scriptor, de quo dicimus, aperte declarat.

Quoniam vero illud nobis propositum est, ut omnia, quae ad Ammiani vitae dignitatem conducunt, sedulo colligamus: insistendum est vestigiis ejus in bello, a Juliano a. 363 geri coepto. — Quod ut via et ratione fiat, primum in ipso contextu operis eatenus subsistamus, ut verba respiciamus quae cap. 5. libr. XXIII. in hanc sententiam leguntur: „Profecti deinde Zaitham venimus . . . .“ Nonne eum, qui ita loquitur, etsi de se, ut singulari homine, nihil dum subjungit, interfuisse illi expeditioni seque Juliano adjunxisse credamus, Antiochia profectum? Quod si pro vero habere ipsius veritatis ratione non prohibemur, comitabimur Ammianum iterum militantem, ut quae socius belli idemque laborum consors memorabilia expertus sit, opusculo nostro inseramus.

A Zaitha igitur profecti (Ammianus et contubernales) Gordiani tumulum prospiciunt, unde, postquam Imperator sacra fecit, Duram, urbem desertam, deveniunt. Hic in obvio erant militibus, qui caesum eximiae magnitudinis leonem reportabant, id quod Ammiano, homini superstitioso, ominosum visum est. Abora flumine deinde pontibus trajecto, Julianus cum exercitu Assyriam ingreditur et Anatham castellum ad Euphratem situm in fidem recipit atque incendit. Neque tamen Philutha et Achajachata, duo castella, medio in flumine condita, expugnari poterant. Postero autem die stadiis ducentis emensis, locum Baraxamalcha accesserunt, unde profecti, quum fluvium transissent, urbem Diaciram adorti, desertam quidem sed frumento plenam capiunt[3]). Praeda facta, urbem incendunt, ne mulieribus quidem, quae relictae erant, parcendum rati. Eadem vi grassantur in oppidum, cui nomen Ozopardanae erat, trucidando mulieres et senes, quos

1) Amm. XX., 2. — 2) Cf. Chiffl. — 3) Amm. XXIV., 1, 2.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

relictos offenderant. Tali modo, quam maximis poterant itineribus, in interiora terrae contendunt. Verum quiete opus erat militibus ad reficiendas vires; collocantur castra. E quibus quum per medios hostes perrupissent, appropinquant oppido, cui nomen impositum erat Macepractae. Istic Euphrates in duo quasi brachia scinditur, quorum alterum Nahamalcha in Babyloniam inferiorem ducit, alterum Ctesiphontem urbem praeterfluit. Hanc quidem Euphratis partem, pontibus inter se junctis transgressi, ad Pirisaboram[1]) veniunt, urbem celebrem et copiosam, ad quam, quum ab hostibus pertinaciter defenderetur, consistendum fuit. Sed frustra restiterunt oppidani; urbs tribus diebus postquam obsessa est, in deditionem venit Romanorum, qui eam, ut ceteras sibi obvias, ferro ignique devastarunt. Dehinc spatium emensi XIV millium passum in planitiem descenderunt, quae ut tota illa inferior intra Euphratem et Tigrim regio, fossis et canalibus ductis, irrigata ideoque feracissima est. At Persae quum nescîssent hoc itinere Romanos ingressuros esse, sublatis cataractis circumjecta loca adeo inundarant, ut milites aegre procedere possent, nedum ut, aquis omnia circumfusis, reperirent, ubi in sicco fessa sternerent corpora. Nihilominus iter expedivit Imperator, strage palmarum facta ad pontes construendos. Sic aquas evagatas trajecti, ad urbem iter flectunt cujus nomem quidem Ammianus non tradidit, quam vero ab Judaeis incolis desertam fuisse narrat. Etenim regio fere omnis trans Euphratem cum praefecturis, fertilitate agrorum conspicuis, a Judaeis tunc obtinebatur, quos plerosque Persidem migrasse constat, everso templo Hierosolymitano metu atque odio nominis Romani.

Hucusque Romanorum exercitus victor fere evaserat, quum ad locum accessit (Magomalchae nomen erat), natura et arte munitum, sive in arduo clivo situm et duplici muro cinctum. Magni ibi labores insumebantur, adhibitis dolis et machinis, partim corum, qui obsidebant, partim ab obsessis. Quae accuratius nosse, si cui volupe est, Marcellinum adeat, qui quae ibi fortiter et sollerter facta sunt, tam perspicue descripsit, ut ante oculos posita esse videantur[2]). Nobis sufficit, dicere, expugnatos tandem esse inclusos moenibus. Re gesta, exercitus, transmissis fluviis, qui multi hunc terrae tractum irrigant, pergit ire Cochen, ubi positis castris, triduum constitit; id tempus quieti datum. Etenim certior factus, Ctesiphontem ab hostibus teneri, Julianus illuc itar convertere constituit, quamquam non nescius, quot labores obeundi quantaque pericula snstinenda essent, antequam inceptum exsequeretur. Hoc ita esse, medio jam in itinere experiendo cognovit Imperator ipse (id quod in transcursu notavit harum rerum scriptor); nam quum in eo esset, ut castellum quoddam inter Magoamalcham et Ctesiphontem situm adoriretur, tantum non in vitae periculum incidit. Castello expugnato, propius fossam accessit exercitus, quae Naarmalcha dicitur, jam antiquitus ducta, quippe quam idoneam et ad muniendum et ad navigandum putarent, scilicet conjunxit ea utrumque Babyloniae flumen. Interim classis, quae ornata fuerat, Euphrate devecta, fossam navigat et ad dextrum Tigridis litus appellitur, dum milites ratibus flumen transeunt. Transgressis in conspectum

1) Amm. XXIV., 3. — 2) Amm. XXIV., 4, 6, 7.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

veniunt hosties in altera fluminis ripa acie instructi. Quibuscum armis extemplo decernere quamvis Julianus cupiditate flagaret, maluit tamen cunctando rem gerere, quam ut ea in discrimen fortunae adduceretur, sustinere. Hanc ob causam militibus per aliquot dies quietem a laboribus concessit, inter quos, quae ad instruendam aciem opus esse viderentur, omnia summopere curat et praeparat. Ipsa regio amoenissima, teste Ammiano, et fertiliasima ad otium invitabat[1]). Tempore ad recreandum praeterito, ad arma conclamatum et acre proelium commissum est: et primo quidem aequo Marte pugnatum esse refert Ammianus, deinde vero hostes victos Ctesiphontem refugisse. Quam urbem victor etiamsi expugnare concupisceret, mox tamen consilio destitit; movit eum respectus praesidii et munimentorum omnis generis, quibus firmabatur. Quocirca, obsidione soluta, castra movit Caesar atque in interiora regni (Persici) penetravit. Inter proficiscendum autem alter Zopyrus exstitit, Etenim homo quidam non modo viae ductorem se obtulit, sed Juliano auctor etiam fuit, ut naves frumento onustas et reliquum, quo abundaret, commeatum, igne deleret, Dictis fides addita; verum quam perniciosa fraus facta sit, non ita multo post eventus docuit. Scilicet acrius instabant hostes et segetibus frugibusque incensis grave detrimentum intulerunt Romanis. De quo calamitatum concursu ipsum, qui ei interfuit Ammianum sic narrantem audiamus loco infra indicato: „Insultantesque nobis longius „Persae, nunc de industria se diffundebant, aliquoties confertius resistentes: ut „procul conspicantibus viderentur jam advenisse Regis auxilia, ideoque eos aesti„maremus erupisse ad audaces excursus et insolita tentamenta. In hoc bello di„scrimine super summa consultabamus. Et multis ultro citroque dictitatis, cum „reverti debere per loca qua venimus, plebs vociferaretur imprudens, resistebat „intentius Princeps, multis cum eo nequaquam fieri posse monstrantibus per effu„sam planitiem pabulo absumto et frugibus, vicorumque reliquiis exustorum ino„pia squalentibus ultima, quodque liquentibus jam brumae pruinis omne imma„duerat solum et ruptis riparum terminis aucti inhorruere torrentes. Eo etiam „ad difficultatem accedente negotii, quod per eas terras vapore sideris calescen„tes, muscarum et culicum multitudine referta sunt omnia, eorumque volatu dies „et astrorum noctu micantium facies obumbratur. Et cum nihil humani profi„cerent sensus, diu fluctuantes et dubii, exstructis aris caesisque hostiis consulta „nominum scitabamur utrum nos per Assyriam reverti censerent, an praeter ra„dices montium lenius gradantes,, Chilocomum prope Corduenam situm ex im„proviso vastare, quorum neutrum exstis inspectis confore dicebatur. Sedit tamen „sententia, ut omni spe meliorum succisa Corduenam arriperemus, et XVI. Cal. „Jul. promotis jam signis progresso Imperatore cum lucis exordio, fumus vel „vis quaedam turbinata apparebat, ut opinari daretur asinorum esse greges agre„stium, quorum multitudo in tractibus est illis innumera, adeo simul incedens, „ut constipatione densa feroces leonum frustentur adultus. Quidam arbitrabantur „Sacenae duces adventare jam nostros, rumoribus percitos, quod Imperator Cte„siphonta magnis viribus oppugnaret, nonulli Persas nobis viantibus incubuisse

1) Amm. XXIV., 6.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

„firmabant. Ideo inter haec ita ambigua, ne quid adversum accideret, revocanti-„bus agmina classicis in valle graminea prope rivum, multiplicato scutorum or-„dine, in orbiculatam figuram metatis, tutius quievimus castra. Nec enim adus-„que vesperum aere concreto discerni potuit, quidnam esset quod diu squalidius „videbatur.“ [1])

Integrum hunc exscripsimus locum duabus de causis; primum, ut quam ad desperationem tunc adductus fuerit exercitus, ostenderemus, deinde ut significaremus quantum ab aurea illa sermonis latini aetate et nativo ejus lepore desciverit Marcellinus, si solam ejus orationem spectamus. Verum reliqua persequamur.

Castris positis pernoctant et postero die hostium exercitum ante se conspiciunt, quo propulsato, viam sibi patefaciunt, qua locum Hucumbrae nomine pervenerunt, ubi biduum quiescunt commeatumque exercitui prospiciunt. Inde ad septuaginta stadia emensi, ad regionem quae dicitur Maranga accesserunt. Ibi simul inopia rei frumentariae pressos sese vident et ab hostibus undique cinctos. Sed quo gravius periculum erat, eo praestantior militum virtus. Signis illatis, fusae fugataeque sunt hostium copiae adeo, ut inducias facerent. Neque tamen sic res Romanorum expedita erat. Persae enim, postquam per inducias agros circa igne vastaverant, Romanos denuo lacessebant. Jam vero, quum ad eos repellendos Imperator, executa lorica, temere se hostibus intulisset, hasta vulneratur atque in tabernaculum relatus paulo post animum efflavit a. 363[2]). Caesaris mors quo magis subita nec opinata, eo majore cunctos afflixit maestitia, ut cerneres, quanti eum inter vivos fecissent. Neque tamen tempus fuisse, ait Ammianus, moerori ac desiderio se dedere tam „cari capitis“, quum hostes instarent. Res erat in his angustiis, ut consilium aliquod capiendum esset[3]).

Conveniunt igitur consultaturi, qui dignus esset ut Juliano succederet. Uti vero in omni vita quid in quaque re optimum sit haud facile est discernere, ita diu haesitarunt, quem summo honore dignarentur, dum alius alium proponebat. Inter haec Ammianus quoque, dummodo Gibbonio fides habenda sit, existisse[4]) et in hanc fere sententiam loquutus esse dicitur: „Quid ageretis si illud bel-„lum vobis curandum commisset absens, ut saepe factum est, Imperator? Nonne „posthabitis ceteris militem instantibus aerumnis eriperetis? Id nunc agite et si „Mesopotamiam revidere licuerit, consociata utriusque exercitus suffragia legiti-„mum principem declarabunt.“ [5])

Declaratus est, qui Juliani Domesticus Primicerius fuerat, Jovianus a. 363.

Quo facto, reditum pergit exercitus inter continua cum Persis modo latere, modo post post tergum lacessentibus, proelia, donec ad urbem Charcham, dehinc Duram pervenerunt[6]). Hic quum astrocius hostes instarent et novos impetus facerent, Romani aliquamdiu subsistere coacti sunt.

---

1) Amm. XVI., 8. — 2) Amm. XXV., 4. — 3) Amm. XXV., 5. — 4) Gibbon: History of the decline and fall of the Roman Empire: 6. p. 171: „perhaps Ammianus himself. The modest and judicious historian describes the scene of the election, at which he was undoubtedly present.“ — 5) Amm. XXV., 5.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Interea milites, quum fama percrebuisset, haud procul se a finibus Romanis abesse, a Joviano flagitant ut Tigridis transeundi copiam daret. Imperator, precibus eorum commotus, flumen pontibus jungi jubet, quum nuntius affertur, Saporem proclivem esse ad pacem conciliandam. — Addit hoc loco Ammianus quidem, in angusto se ipsum fuisse, quum per violentiam fluvii pontes inter se jungi difficillimum fuerit, nec multum abfuisse quin propter frumenti inopiam exercitus ad incitas redactus sit. Jam vero quum rex Persarum Romanos quoque ad pacem ineundam propensos esse cognovisset, moras coepit nectere et interrogationibus ac responsis tempus terere, hoc admittendo illud differendo, eo scilicet consilio, ut, dum crebrae legationes ultro citroque commeant, alimenta consumerentur. Neque eventu caruerunt eventu Barbarorum artes. Pax facta est Romanos inter et Persas turpissima, hac nimirum conditione, ut plurimae circa Tigrim regiones dicionis regiae fierent. Hic non possumus non callaudare subinde harum rerum testem et scriptorem qui pacem istam ignobilem molestissime ferens „decies mortem obire, quam ad has accedere conditiones melius fuisse", affirmat. Multos vero in exercitu fuisse, qui idem quod Ammianus sentirent facile nobis persuadebimus: at parendum erat necessitati[1]). —

Interim pace per omnes vulgata, ingens concursus factus est eorum, qui alteram Tigridis ripam petebant. De quibus apud Ammianum sic relatum legimus: „Ubi vero transeundi amnis aperte signum dedere buccinae concrepantes, „immane quo quantoque ardore temere rapiendo momenta periculorum, semet „quisque reliquis omnibus anteponens vitare multa et terribilia festinabat: et pars „cratibus temere textis jumenta retinentes hincinde natantia, alii supersedentes „utribus, quidam diversa in necessitatis abrupta versantes, undarum occursan„tium fluctus obliquis meatibus perrerrabant.

Contra Ammianus, ne, quod in aliis vituperaret ipse commississe videretur, fluvium eodem, quo modo Imperator trajecit. Jovianus enim „brevibus limbis cum paucis transvectus, eadem navigia ultro citroque discurrere statuit, dum omnes conveherentur." Flumine superato, pergunt iter et primum quidem urbem desertam, Hatra nomine, deinde Thilsaphata perveniunt, tum Nisibin turribus conspiciendam devertunt ibique ante urbis moenia castra collocant. In quo itinere quot quantisque iterum miseriis conflictatus sit exercitus Romanus, non reticuit is, qui malorum socius fuit. Quocirca iterum eum loquentem faciamus: „Dum gestorum seriem ubique rumores diffunditant varii, in exercitu absumptis „commeatibus paucis quos advectos praediximus, in corpora sua necessitas erat „humana vertenda, ni jumentorum caro caesorum aliquatenus perdurasset, unde „effectum est, ut et armorum pleraque projicerenter."

Verum unde defleximus redeamus[2]).

Castris igitur positis et refectis militum viribus, Nisibis, urbs nobilissa eademque munitissima, ita ut pro propugnaculo Imperii Romani haberetur, secundum pacem, quam cum Sapore Jovianus fecerat in potestatem hostium tradita est:

1) Amm. XXV., 8. — 2) Amm. eod. loc.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

id quod scriptor harum rerum, Ammianus adeo indignatur ut addat, „nunquam ab urbe condita ducem ullum Romanum, pactione inita, provincias hostibus concessisse.“ Ac profecto vidisset tunc quilibet praesens, quae Ammianus, testis oculatus, vidit, qui non modo foedus cum Persis ictum aegerrime tulit, sed quem miseruit etiam sortis Nisibinorum, patriam ac domos suos relinquentium. Urbe dedita, exercitus inde profectus Antiochiam pervenit a. 364[1]). Hic Ammianum remansisse neque Jovianum per Syriam, Ciliciam, Cappadociam et Galatiam iter facientem secutum esse ex eo conjicerim, quod in progressu rerum ne verbo quidem tangit ipsis sese interfuisse, quod certe fecisset, si una cum exercitu Imperatorem ultra prosequutus esset.

Joviano post unius anni imperium a. 364 intermortuo, successerunt Valentianus et Valens, quorum ille Occidenti usque ad a. 375, hic usque ad a. 378. Orienti praefuit. His regnantibus, Ammianus militiae renuntiavisse totumque se studiis dedisse videtur, quorum studiorum locupletissimi testes habendi sunt unus et triginta historiarum libri, quibus res Romanas inde ab imperio Nervae usque ad excessum Valentis comprehendit.

Neque vero recte judicaverimus, si Ammianum per totum hoc tempus, antequam Romam migravit, Antiochiae commoratum fuisse existimabimus. Non enim credibile est, virum, quem in condendo opere suo cognoscendi cupiditate flagrantem videmus, quique omnia, quae narrat vel describit, aut ipse oculis vidit, aut ab aliis edoctus fideliter tradidit, in patria urbe delituisse et umbraticam vitam degisse. — Imo multo credibilius est, eum ad exemplum Herodoti alias super alias peragrasse terras (cujus rei manifesta in librorum reliquiis vestigia deprehenduntur) nullo alio consilio, quam ut earum urbiumque situm, civitatum statum, populorum ingenia, hominum mores spectaret, inquireret, cognosceret. Testimonio sunt crebrae illae locorum et regionum descriptiones, quas scriptor operi suo velut diversos colores picturae intexuit. Sic Galli Caesaris immanitatem et saevitiam, quam in Oriente exercuit, narrans Orientis provincias describit[2]). Ex Juliani in Gallos expeditione occasionem sumit, de origine gentis, de Alpibus Gallicanis, de variis per eas jugis, faucibus, de cursu fluminis Rhodani, de moribus populorum Galliam incolentium, finibus eorum, de natura et ingenio soli, et quae sunt reliqua ejus generis geographica, accurate et copiose exponendi[3]). Sic Thraciae et sinus Pontii regionumque ac nationum Ponto adjacentium descriptionem subjicit Ammianus eo loco, quo de Juliano Thracum res ordinante refert[4]) atque in eodem libro de rebus Aegyptiacis deque claris Aegypti urbibus disputationem instituit[5]). Et quum, procedente opere, Juliani bellum contra Saporem scripturus est, hanc nactus opportunitatem, majores XVIII regni Persici provincias cum suis quamque urbibus describit[6]). Omnes vero et singulas quas modo significavimus provincias, ipse adiit scriptor et perlustravit, cujus rei veritatem, si quis addubititet, relegat ea, quae ad vitam ejus pertinent, supra a nobis

1) Amm. XXV., 10. — 2) XIV., 8. — 3) XV., 9, 10, 11, 12. — 4) XXII., 8., XXII., 4. — 5) XXII., 14, 15. — 6) XXVI., 6.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ad fidem relata. — Quod si quis quaesiverit, quo tempore quibusve annis Ammianus in terris, quarum descriptionem operi suo inseruit, versatus fuerit, facile est ad respondendum: nimirum eo temporis articulo, quo militiam fecit. Sic Persidis aliasque Orientis provincias vidit tum, quum imperantibus Constantio, Juliano, Joviano stipendia illic merebat; sic in Gallorum tractibus fuisse existimandus est, quo tempore expeditioni cum Ursicino interfuit ad Silvanum istum opprimendum. Thraciam vero, cujus geographiam vel potius topographiam duobus locis tetigit, plus semel adiit revisitque, exindo quum via ab Occidente in Orientem pateat. Sed in Aegypto etiam, terra illa ab omnibus appetita, qui humanarum ac divinarum rerum cognitioni studerent, Ammianum fuisse, complures historiarum suarum loci aperte demonstrant. Ac priore quidem loco sic apud eum legimus: „In hac urbe (de Thebis loquitur) inter labra ingentia diversasque „moles, figmenta Aegyptiorum numina exprimentes, obeliscos vidimus plures, „aliosque jacentes et comminutos: quos antiqui reges bello domitis gentibus, aut „prosperitatibus summarum rerum elati, montium venis vel apud extremos orbis incolas perscrutatis excisos erectosque Diis superis in religione dicarunt[1])." Posterioris autem loci verba haec sunt: „Strictim itaque quoniam tempus hoc „videtur flagitare, res Aegyptiacae tangantur, quarum notitiam in actibus Ha„driani et Severi principum digessimus late, visa pleraque narrantes[2])." Nihil igitur est, quod dubitemus, quin Ammianus in Aegypto fuerit. Quid? quod tempus in quod peregrinatio illa Aegyptiaca incidit, indicare in promptu est. Quo enim tempore ibi fuerit, etsi non expressis verbis, in transitu tamen auctor attigit loco infra laudato, cui haec verba insunt: „Hoc novatore adhuc super„stite, cujus actus multiplices docuimus et interitum, diem undecimum Cal. Aug.; „consule Valentiniano primum cum fratre, horrendi terrores, per omnem orbis „ambitum grassati sunt subito, quales nec fabulae, nec veridicae nobis antiqui„tates exponunt." Postquam deinde, quae evenerunt, tempestate ubique saeviente, enarravit, sic pergit: „Ingentes aliae naves extrusae rabidis flatibus culminibus insidere tectorum, ut Alexandriae contigit: et ad secundum lapidem „fere procul a litore contortae sunt aliquae, ut Laconiam prope Methonem oppi„dum nos transeundo conspeximus diuturna carie fatiscentium[3])." Contextis his verbis, si recte video, aliquid inest, quo adducor ut credam, Ammianum tali tempore in Aegypto fuisse, deinde vero Graeciam revertenti istam accidisse tempestatem. Incidit autem hic terrae marisque motus in annum 366 Valentiniano et Valente coss., quocum omnes consentiunt, qui calamitosae illius tempestatis mentionem fecerunt[4]). Neque ab ea computatione dissentiunt, quaecunque de Ammiani vita munere militiae vacantis, tanta, quanta esse potuit fides, locis antegressis cum bonis aequisque lectoribus communicavimus.

---

1) Amm. XVII., 4. — 2) XXII., 15. — 3) Amm. XXVI., 10., — 4) Consentit Idatius in Fastis. Ejusdem terrae motus meminit Hieronymus in Chronico. Sozomenus, lib. VI. cap. 2.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quod si ea, quae de itineribus Ammiani protulimus, vitam ejus post stipendia confecta respiciunt, jam quaeritur, ubinam sequentibus annis vixerit et quomodo extremam vitae partem degerit. De quibus rebus eo magis disputandum nobis esse videtur, quo propius ad propositum nostrum accedit, vitam Ammiani ex ipsius libris qui supersunt, adumbrare. Jam vero omnes qui vitam Ammiani conscripserunt, consentiunt, eum sub finem vitae, Oriente relicto, Romam migrasse ibique domicilium constituisse. Hadriani quidem Valesii haec verba sunt: Orienti ac patriae valedixit aetate jam provectus, et Romam secessit vivo adhuc Valente[1])". At apud Henricum Valesium, fratrem ejus, haec legimus: „Gratino demum ac Valentiniano juniore et Theodosio imperantibus, Marcellinus Romam migravit" Et Chiffletius, qui vitam Ammiani obiter tractavit, nihil aliud profert nisi: „Etiam vixisse Romae Ammianum non dubitaverit qui populi Romani mores et errata ab eo expressa lib. XIV. et XXVIII. legerit." Quae cum ita sint, videamus, num apud auctorem ipsum vestigia quaedam inveniantur, quae secuti in tanta sententiarum diversitate certius quid constituamus. Nam etiamsi Hadrianus et Henricus Valesii in eo consentiunt, Romae vixisse Ammianum, tamen de tempore quo ex Oriente Romam se contulerit, mirum admodum discrepant eorum sententiae. Alter enim vivo etiamtunc Valente, alter Gratiano, Valentiniano juniore et Theodosio imperantibus, Orientem eum reliquisse affirmat. Jam vero, quum Valens inde ab anno 364 usque ad annum 378, quo anno in pugna illa apud Hadrianopolin commissa eum periisse constat, regnaverit, Gratiani vero, Valentiniani junioris et Theodosii imperium annos inde a. 378 ad 392 complectatur, Valesios in tempore describendo plus quatuordecim annis differre perspicuum est. Equidem tempus quo Ammianus Marcellinus Romae domicilium collocavit in tempore post 378 aptissime ponere posse mihi videor. Qua cum computatione reliquae res ab Ammiano enarratae satis conveniunt. Eum enim in Oriente versatum esse priusquam Gothi omnes, in unum conjuncti, Valentis exercitum cum maxima strage in fugam conjecissent, ex scriptoris verbis satis apparet, et accurate locum quem apponemus consideranti, dubium non erit, quin verbis, quae ibi leguntur, sententia nostra comprobetur. Narrat autem Ammianus, quomodo Valens, bello cum Persis finito, cum Antiochiam venisset, crudelissime saevisset in omnes qui vel levissimi criminis speciem praebuissent, foedamque ejus avaritiam insectatus, qui damnatorum bona non solum fisco vindicaret sed etiam in proprios usus verteret, haec addit verba: „Et quoniam addici post „cruciabiles poenas vidimus multos, ut in tenebrosis rebus confusione cuncta „miscente summatim quia nos penitissima gestorum memoria fugit, quae reco„lere possumus expeditius absolvemus[1])." Jam si quis ex his quae modo dis-

1) Amm. XXIX., 1.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

putavimus nihil aliud effici posse putaverit nisi Ammianum, vivo etiamtunc Valente, in Oriente versatum esse, me non dissentientem habebit, qui altero demum loco allato, de tempore, quo scriptor patriae valedixerit, omnem me dubitationem ejecturum esse confidam. Locum dico qui his continetur verbis: „ut nunc albigentes ossibus campi indicant[1])". Loquitur enim Ammianus de invasionibus, quibus Germani imperium Romanum perturbaverunt et, pugna Hadrianopolitensi copiose descripta, verba quae supra citavimus subjicit. Jam vero ex his verbis Ammianum locum ubi proelium illud atrocissimum commissum erat, adiisse oculisque perlustrasse, non sine probabilitate quadam conjecerim, idque aliquot annis post 378, cum, Oriente relicto, Romam proficisceretur. Quo autem anno hoc factum sit haud affirmaverim; nam quod addit: „ut nunc . . . . . " ex eo nihil aliud efficitur nisi compluribus annis post 378 regionem Hadrianopoli circumjacientem vestigia stragis foedissimae conservasse.

Igitur Ammianus Romam se contulit, ubi et diem supremum obiisse eum persuasum habeo. Quae res et Libanii epistola et ipsius scriptoris verbis satis comprobatur, ita ut nullus dubitationi locus relinquatur. „Neque vero magnitudine et copiis urbis in qua domicilium constituerat, ad luxum ac desidiam abusus est, ut plerique tum facere solebant, sed optimarum artium studiis et auctorum maxime latinorum lectioni vacans in clarissimi et doctissimi cujusque amicitia consenuit. Testes sunt unus et triginta historiarum libri, quibus res Romanas ab exordio Nervae ad Valentis obitum comprehenderat. Quos quidem libros Romae ab eo scriptos fuisse multa argumenta demonstrant. Primo enim censurae illae sane graves, quibus in vitia nobilitatis simul ac plebis Romanae invehitur, non ab alio nisi ab urbis Romae inquilino proficisci potuerunt. Cur enim unius populi Romani delicta tam accurate retulit? An solus eo tempore populus Romanus vitiis scatebat. Nonne eadem et Constantinopoli agebantur. Sed nimirum, qui Romae residebat et Romanis historias recitabat, hujusmodi objurgationibus admonere cives Romanos et ad meliorem frugem revocare cupiebat. Praeterea idem ostendit reprehensio senatoris cujusdam Romani quae legitur in principio libri XXVI. Sed in exordio ipso libri XXVIII. longe clarius id ipsum significat Marcellinus. Ait enim timuisse se, si calamitates urbis Romae accuratius commemoraret, ne sibi accideret, quod olim Phrynicho: qui cum expugnationem Mileti (quae colonia Atheniensium erat) argumentum sumsisset tragoediae, suffragiis Atheniensium graviter multatus fuisse dicitur[2])."

---

1) Amm. XXXI., 7. — 2) Verba sunt Henr. Valesii.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Hic cohibere disputationem necesse est, at speramus fore ut, quoniam multae sunt quaestiones, quae institui possint, propediem facultatem nanciscamur, commentationem nostram de Ammiano Marcellino latius proferendi.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf